



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Subsectio nona.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Subsectio nona.

1mò, De Inferno & Limbo Patrum. 2. De Purgatorio. 3mò, De Indulgentiis.

1. **C**Alvinus explicans Cap. Isaiaë 30. negat certum locum per Gehennam significari. Sed intelligi statum omnibus miseris & extremis doloribus redundantem. Et quidquid ex Script. contra eum adfertur, dicit figurativè & metaphoricè intelligendum esse. Sed cum ex Scriptura sola juxta eum ipsiusque sequaces desumendum sit, quid credi fide divinâ debeat? Ubi textus Scripturæ reflexus est? quòd omnia, quæ de certo infernali loco in Script. memorantur figurativè tantùm intelligi debeant? & huic præterea Sicophantæ magis credendum sit, quam toti venerabili antiquitati ac communi SS. PP. & Ecclesiæ judicio? nunquid Luc. 16. clarè describitur locus esse profundus, ubi dives Epulo è flammarum tormentis vidit Lazarum in sinu Abrahæ? & petiit, ut vel guttâ aquæ refrigeraretur ardens lingua ejus? nunquid clarò D. Petri testimonio in Epist. sua secunda *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos exemplum ponens eorum, qui impiè acturi erant?* ubi pœnâ damni & sensûs cruciantur damnati teste Augustino veris sed miris modis. Quòd igne cruciandi sint patet ex illo Matt. 25. *Ite Maledicti in ignem æternum.* Perperam cavilla-

T

villa-

villatur Calvinus Sophistas, ita Catholicos nominat. Ineptos & ridiculos se mire contorque-
 re in explicando, quomodo materialis ignis
 Spiritus torqueat. Sed ipse ineptus ridiculus
 non jam sophista, sed stumpax est. Quod non
 capere velit aut possit illud Augustini, quod,
 si corpus male affectum affligat animam, idem
 etiam igni avernali in Spiritus concedi possit, &
 si Spiritus hominum etiam ipsi incorporei &
 nunc potuerunt includi corporalibus membris,
 & tunc poterunt corporum suorum vinculis in-
 solubiliter alligari, cur non etiam ab igne cor-
 poreo torqueri? quis id omnipotentiae Dei,
 quae majora sane fecit divinam naturam huma-
 nae jungendo denegabit? intolerabile adhuc
 magis est, quod Calvinus l. 2. Instit. c. 16. §.
 10. audeat dicere. Per haec verba, quod
 Christus descenderit ad inferos, intellegi, quod
 Christus tormenta damnatorum subierit, ut de-
 vine ultionis severitatem sentiret. Et jam tum
 in horto ea pati ceperit, dum sanguinem suda-
 vit. O malevole! quis Diabolorum hoc tibi
 inspiravit? & cum velis ex Script. omnia de-
 duci, ubi vel per umbram sit ejus mentio? quod
 agnis sine macula, *in manus* Patris commen-
 dans spiritum suum, latroni dicens: *Hodie me-
 cum eris in paradiso*, demum ultimo dicens:
Consummatum est; sive se totum redemptionis
 opus consummasse, & omnia de se praedicta im-
 pleta esse; quod inquam post haec omnia adhuc
 inferni poenas debuerit sustinere. Nunquid
 poenae inferni supponunt privationem gratiae?
 qui

quia in Angelis ad tartara è cælo detractis exemplum positum est pro iis, qui impiè acturi erant. Nunquid & supponunt privationem visionis beatificæ? quâ Christi anima, dum adhuc corpori in mundo unita erat, nunquam caruit. *Nunquid per proprium sanguinem introiit semel in sancta aeterna redemptione inventa?* ad Hebr. 9. *Nunquid redemptionem habemus per sanguinem ejus?* Ephes. 1. *Pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive qua in terris sive qua in calis sunt.* Ergo pro consummando Redemptoris officio non debuit præterea pœnas inferni sustinere, nec sustinuit. Et nunquid magis divinæ ultionis erga peccatum per hoc innotescit severitas? quòd ei Dei filius morte tam infami & dolorosâ satisfecerit, quàm quòd homo purus in peccatis suis mortuus torqueatur in inferno.

Quæres, quomodo intelligenda verba in symb. Apost. descendit ad inferos. R. Calvinus per inferni loca vult tantùm intelligi sepulchrum, quia locorum certorum inferni, purgatorii & limbi Patrum existentiam negat. Sed 1. fidei articuli accipiendi sunt, prout verbis claris expressi absque figuris & metaphoris. Et dum 4. Ephes. v. 9. dicitur: *Qui ascendit super omnes calos, ille est, qui & descendit primùm in inferiores partes terræ.* Per has inferiores partes terræ solùm non potest intelligi sepulchrum, in quo corpus Christi conditum fuit. Quia id nequidem una inferior pars terræ, sed tantùm quædam ejus superficies nominari potest. Et sicut Christus, si infimum tantùm cælum ascendisset,

436 *Pars secunda de elevatione*
disset, non posset dici ascendisse super omnes
cælos, ita per hoc, quod corpus Christi fuerit
in sepulchro, quod tantum in superficie terræ
fuerat in petra aliqua excisum, non potest dici
descendisse in inferiores partes terræ. Et hinc
etiam, dum Christus prædixit Matth. 12. v. 40.
filium hominis fore *in corde terræ*, sicut Jonas
fuit *in ventre cæti tribus diebus & tribus noctibus*,
sicut Jonas non fuisset in ventre seu medio Del-
phini, si in extrema cute hæssisset. Sic nec Chri-
stus fuisset pari modo in corde terræ. Si non,
dum corpus fuit in sepulchro, anima ejus fuisset
in inferioribus aliis terræ partibus. *Per inferi-
ores ergo terræ partes & cor terræ*, per quod ejus
quali medium intelligitur, significantur plura
loca centro terræ vicina, nec fors longè à se dis-
sit scilicet limbus Patrum, purgatorium & in-
fernus. Ita Irenæus l. 5. c. 31. Tertull. l. de
anima c. 55. Ambros. l. de myst. Paschalibus
c. 4. August. Epist. 157. Et hoc colligunt ulte-
rius SS. PP. & Interpretes passim ex citandis jam
à me Script. textibus. Primus est 1. Petr. 3. v.
19. & 20. latis quantum primâ apparet fronte
spinosus. Ubi postquam præmisit Apostolus,
Christum semel pro peccatis nostris mortuum,
mortificatum quidem vivificatum autem esse
spiritu, subjungit. *In quo & his, qui in carcere
erant, spiritibus veniens predicavit. Qui incre-
duli fuerant aliquando, quando expectabant Dei
patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur Ar-
ca.* Sic autem versum hunc 19. & 20. interpre-
tes exponunt. *In spiritu, id est, quoad animam
venit*

venit Christus per mortem suam *in carcerem*,
ut græcum vocabulum significat *in infernum*.
Ut Syriacum ibi prædicavit animabus omnibus
illic captivis, impiis in inferno vel carcere dam-
natorum *ad iudicium*, piis in limbo & purga-
torio *ad gloriam & salutem*. Nec iis solum qui
haud ita pridem in limbum descenderant;
sed aliis omnibus, qui eò jam olim etiam ante
diluvium venerunt; & quidem multis quo-
que illorum, qui temporibus Noë *increduli fue-
rant aliquando*. Non credentes ab initio minis
& Prophetiæ Noë; quia *expectabant*, sibi que
pollicebantur longanimitatem *Dei potentiam*, quam
per tot sæcula Deus habuerat. Postea tamen
cum senserunt inundare diluvium, conversi
sunt, crediderunt & pœnituerunt, atque ita,
licet aquis profocarentur, salvati sunt, & ad
limbum vel purgatorium cum reliquis justis re-
legati per Christum jam à morte illuc descen-
dentem cum omnibus aliis justis inde educti
sunt. Quòd anima Christi visitarit omnes in-
feriores terræ partes carcerem damnatorum,
limbum & purgatorium, colligunt quoque SS.
PP. & Interpretes ex hoc secundo textu Eccli
24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes ter-
ræ, & inspiciam omnes dormientes* (hoc est mor-
tuoꝝ, etiam damnatorum animas utpote
omnium Dominus ac Iudex) ut optimè in hunc
locum dicit Bellarm.) *& illuminabo omnes spe-
rantes in Domino*. Undè piè arguitur, animas
omnes ex purgatorio etiam tunc à Christo ad
cælum fuisse perductas. Alii tamen hunc lo-

cum Script. quoad animas in purgatorio de resurrectione universali exponunt.

Patres Græci & Latini in hærentes versioni interpretum, item expositioni Origenis, Hieron. August. & aliorum se antiquiorum hunc tertium textum Zach. 9. v. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, ita exponunt. Tu Messia in sanguine, id est, per sanguinem seu merito illius & premio, quo testamentum seu fœdus tuum inter Deum & homines de novo initum sancivisti, mox ut victor ad devictum infernum descendisti, perruptisque ejus carceribus ex limbo, & fortè ex purgatorio inde liberos emisisti omnes vinctos. Ad hunc diem suspirabant à tot sæculis, imò annorum millibus hæ bonæ animæ ingeminantes: *Rorate cali desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem, Is. 45.**

Porrò, licet necessum non esset ulterius probare Calvinistis ex Script. fuisse locum quemdam tertium, qui limbus erat Patrum. Cùm enim ipsi clarum in contrarium textum ex Script. adducere non possint; pluris apud prudentem quemlibet hominem valere debet torrens Patrum, & antiqua Ecclesiæ traditio, communitisque à prima Christianitate sensus, quàm unius privati Calvinii sensus; qui cum Vigilantio locum tertium statuit pro suo beneplacito, pro omnibus ad cælum prædestinatis, nec eò venturis, nisi post extremum judicium; & locum omnem alium tertium contra Ecclesiæ communem

neri & avitam doctrinam negat. Porro inquam, ex superabundanti, ratione limbi Patrum unum adhuc memorabile dogma adduco ex Ep. ad Hebr. 11. ubi Apostolus à v. 35. enarrat, quæ in veteri lege Sancti pertulerint inter ludibria, verbera, carceres, lapidationes, exilia, vitam in montibus, speluncis & cavernis terræ, & diras neces. Deim subdit hæc reflectione dignissima verba: *Et hi omnes testimonio fidei probati* (hoc est ratione fidei & pietatis constanter servatæ, ut varii Prophetæ Isaias, Jeremias, item David, Machabæi, &c) *non acceperunt repromissionem* (id est hæreditatem ac beatitudinem cælestem sibi promissam statim post mortem, sed ad limbum relegati sunt, dum in purgatorio nil habuere exsolvendum) *Deo pro nobis melius aliquid providente* (ac reservante, nempe adventum Messiaë, à quo pendeat referatio cælorum) *ut non sine nobis consummarentur.* Hoc est, ut non sine nobis sive ante tempus nostrum aut novi testamenti consummarentur, sive perfectè beatificarentur. Et sic prius cum Christo in cælum assumpti sunt. V. Bellarm. Tom. 1. Controv. §. 7. in principio. Hæresim autem, quòd ad extremum diem iudicii nullus ad cælum venturus sit, damnatam vide in extravag. *Benedictus Deus.*

2dò. De Purgatorio.

NOlim hic institui quæstionem de voce, sed de re ipsa. Catholicis tenent de fide esse.

Quòd inter sedem Beatorum & carcerem æternum damnatorum sit aliquis locus tertius, ad quem veniunt animæ Defunctorum non damnatorum, & adhuc ad tempus è cælo exclusorum, vel quia venialibus peccatis nondum condonatis adhuc maculas eluendas habent, cum nil coinquinatum vel ab his maculis depuratum intret in regnum cælorum Apoc. 21. Vel quia condonatis peccatis mortalibus quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ temporalem adhuc iustitiæ divinæ pœnam debent, quia sufficientem, dum corpori unitæ fuerant, necdum dederunt. Quòd pœna enim temporalis, remissâ culpâ & pœnâ æternâ, adhuc quandoque sustinenda restet, clarè patet ex 2. Reg. 12. in Davide, cui contrito ob adulterium & homicidium Uriæ Nathan Propheta dixit: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Hoc est, culpam & pœnam æternam condonavit. Interim manebant pœnæ temporales v.g. mors filii ex Bethsabæa nati, fuga Davidis ex Regia, & persecutio à proprio filio Absalone. Quòd si jam sufficiens pœna temporalis exantlata non sit in hac vita, superest in altera. Potrò quòd talis locus tertius pro altera vita sit, imprimis patet ex V. testamento. Nam de purgatorio locum paulò antè ex Zach. allatum PP. Græci & Latini explicant, qui jure Luthero & Calvino anteferendi. David post mortem Jonathæ amici sui jejunat 2. Reg. 1. v. 12. & cap. 3. usque ad solis occasum, & flet super tumulum Abner, quæ non tantùm erant tristitiæ & mœroris indicia, sed vel maxi-

mè pietatis opera in solatium mortuorum; nec erat fletus sine suspiriis & precibus pro defuncto. Et eo pariter sine antiquæ legis jejunia post alicujus mortem suscepta sunt. Talis etiam erat intentio Machabæi, quando 2. Machab. 12. *Misit 12. millia drachmarum argenti* (quæ si atticæ fuerunt, mille scuta aurea, si Hebrææ sunt duo millia scutorum) *Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Bene & religiosè de resurrectione cogitans, & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Clarissimum hoc est Script. V. testimonium pro suff. agnis Defunctorum, & exemplum nobilissimum Pontificis & veræ Ecclesiæ illius temporis. Mirè se ratione illius torquent Sectarii. 1. Negando libros Machab. duos esse canonicos. Sed hoc jam dudum explosit Aug. dicens ab initio Ecclesiæ illos inter Canonicos receptos esse. Et quid contra omnem antiquitatem CC. PP. omnes Apostata aliquis Lutherus vel Calvinus, & similis farinæ socius ex ipsa Script. probare non valens contrarium? 2do. Esse hæc verba *sancta & salubris cogitatio &c.* addita à quodam audaculo dicit Munsterus. Sed hæc Munsteri effrons audacia & libido quid pro quo effutiendi profertur omnibus exemplaribus etiam antiquissimis & innumeris V.V. PP. testimoniis. 3to. Idem Munsterus dicit, non solere Judæos ad hunc usque diem orare pro Defunctis, sed hoc
T, ipsum

ipsum Munsterus debuit retractare ob ipsorum-
met Judæorum contra se testimonia. V. Tirin.
in hunc locum & cap. 4. Tob. 4^{to}. Objiciunt
aliqui, non potuisse mortuis in prælio, de quo
hic loci sermo, prodesse sacrificia, quia sub tu-
nicis interfectorum deprehensa est mortis causa,
idolorum scilicet Jamniensium furta. Quæ le-
ge divinâ Judæis disertè vetantur jubente Deo,
ut etiam bello capta idola & omnis idololatrica
suppellex comburatur. R. Utrique in pœnam
peccati hujus illos corruisse in prælio, & Judas,
& cæteri agnoverunt. Rogabant tamen Deum
ad preces conversi (V. vers. 42.) *ut id, quod
factum erat delictum, oblivioni traderetur. Græ-
cè perfectè deleatur.* V. 46. hic id vocatur *solvi
à peccato.* Supponebant enim horum pecca-
tum saltem in plerisque solum veniale fuisse ra-
tionè vel exiguæ quantitatis vel finis, vel si
mortale fuerit, pœnituisse illos ante mortis ar-
ticulum. Quod hujus opinionis fuerint, patet
manifestè ex his verbis v. 45. *quia putabant;
quod cum pietate dormitionem acceperant, sive in
gratia sanctificante saltem multi ob causas jam
dictas obierint.*

2^{do}. Locum tertium, præter cælum & in-
fernum esse, patet pariter ex testamento novo.
Luc. 12. admonemur, ut consentientes simus
adversario nostro, hoc est, propriæ satisfaciamus
conscientiæ. Ne ea nos tradat Judici, Ju-
dex exactori, exactor mittat in carcerem, ex
quo non datur exitus nisi persoluto debito &
novissimo quadrante. Hic carcer non potest
esse

esse infernus, quia ex eo nulla datur redemptio. Ergo est alius, ex quo datur redemptio, quem purgatorium vocamus, quia in eo purgantur & emundantur animæ. Hinc S. Cyprian. ait: aliud est missum in carcerem non exire inde aliquem, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim virtutis accipere mercedem.

Matth. 12. dicit Christus: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur, neque in hoc saculo, neque in futuro.* Ergo in futura vita quoad pœnas est adhuc remissioni locus, ergo est purgatorium. Supra ubi de limbo PP. egi & adduxi præter textum Eccli 24. v. 45, textum quoque ex 1. Petri 3, v. 19. & 20. sciendum est, ex his quoque locum tertium seu purgatorium probari.

1. Cor. 15. S. Paulus infert ex orationibus & pœnitentiis, quæ pro mortuis instituuntur, resurrectionem mortuorum & immortalitatem animarum. Et tu ex loco hoc pariter inferre debes, sanctum Paulum loqui de loco tertio post hanc vitam, nec solum superesse damnatorum carcerem & cælum. Nam v. 29. sic argumentatur. *Alioquin quid facient? qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Non potest NB. hic esse sermo de vero baptismo: non enim tolerasset Paulus hunc abusum benè sciens, quòd vivus pro mortuo non possit accipere baptismum. Sed hunc tantum semel pro se possit suscipere homo vivens. Ergo sermo est de

de baptismo pœnitentiæ, afflictionis; ut Salva-
tor Ma. c. 10. & Luc. 12. de sua passione & tor-
mentis, quæ subiturus erat, loquens ea *bap-
tismum* vocat. Sensus ergo est. Quorsum homines
jejunant, orant, eleemosynas dant, opera pœ-
nitentiæ faciunt? si nulla est resurrectio mor-
tuo-um. Quis non videt manifestè, posse quo-
que hic addi: si post hanc vitam præter cælum
& infernum non est locus tertius. Quia omnia
illa bona opera non possunt juvare damnatos in
inferno; &, qui in cælis sunt, iis nullatenus
indigent. Et hic fuit sensus, hæc praxis ab ini-
tio Ecclesiæ usque huc, precari, multa opera
bona facere pro Defunctis, si in loco tertio iis
indigeant. Hoc fine ait Tertull. l. de corona
militis c. 3. *Oblationes pro Defunctis annuâ die
facimus.* Et S. Hieron. in cap. 11. Prov. no-
tandum esse inquit; quod, *et si post mortem spes
venie non est* (quoad culpam scilicet ratione
peccati mortalis, nisi dilatâ sententiâ in par-
ticulari judicio aliquis revocetur ad vitam)
*sunt tamen, qui à levioribus peccatis, cum qui-
bus obligati defuncti sunt, post mortem absolvi
possunt, vel pœnis videlicet castigati, vel suorum
precibus, eleemosynis, Missarumque celebrationi-
bus.* En denuò Missæ nomen, quod tanquam
novum Papistarum inventum adeo execrantur
Reformati. Demum optimè, quæstionem præ-
sentem quod attinet, August. in Enchrid. c.
110. loquitur: *Cum Sacrificia sive Altaris sive
quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis de-
functis offeruntur. Pro valde bonis* (scilicet si in
cælis

calis sint) *gratiarum actiones sunt. Pro non valde bonis.* [qui adhuc pœnas temporales debent, vel quia venialibus immortui, vel condonatâ culpâ mortali, & pœnâ æternâ adhuc temporales pœnas justitiæ divinæ debent] *propitiatio- nes sunt, pro valde malis* (in statu peccati mortalis mortuis) *etsi nulla adjumenta mortuorum, qualescunque tamen vivorum consolationes sunt.* Quòd scilicet ob ea vivis divina bonitas benefa- ciat. Iterum hic inculco, quòd, licet SS. PP. fallibiles sint. Fallibilis tamen etiam sit Calvi- nus, & quivis à Catholica fide Apostata, qui, cum ex Script. probare nequeat non dari purgatorium, apud hominem æqui & sanæ ratio- nis amantem non debet prævalere torrenti SS. PP. communi sensui, & praxi Ecclesiæ à primis Christianitatis temporibus. Ostendat enim id negans, quo sæculo prius communis de purga- torio persuasio in Ecclesiam irrepsit.

Adhuc unum hic occurrit memorandum. Quàm scilicet luridè omnia peragantur in se- pultura alicujus Calvinistæ, nec id mirum. Nam, cum non credant in purgatorium post hanc vi- tam, & locum tertium fingant, in quo animæ prædestinatorum velut excubias agant usque ad extremum judicii diem (quòd dogma in Ec- clesia ut hæreticum damnatum est, pro ut supra memini) nil immediatè post mortem super- est quàm æterna damnatio, & tristes excu- biæ fictitiæ, ob quæ ambo opus non est in sepultura corporis solemnitates adhibere. Animos etiam per hoc ad strenuè pro cælesti gloria decertandum Calvinus minuit, quòd,

sicut circa locum tertium pro prædestinatis mortuis Vigilanti aliorumque errores recoxit, ita veterem Joviniani errorem adoptans omnes Beatos in celo pronuntiet futuros æquales contra claram doctrinam Apostoli 1. Cor. 15. ubi discrimen esse in cælesti gloria, à simili docet dicens: *Alia claritas solis, alia luna, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Item contra ejusdem Apostoli doctrinam 2. Tim. 4. ubi vocat *gloriam justitiæ coronam.* Quâ ratione autem justitia distributiva servabitur? si merces & retributio laboribus & meritis proportionata non respondeat. Quòd unusquisque & qui serò, & qui à summo mane laboravit in vinea, acceperit denarium à Patrefamilias, ejus causam ipsemet allegat, quòd ratione denarii convenerit cum iis, qui die toto laboraverant, Et aliis quoque dare posset, quod ipsemet vellet. Nec consistit ratione majoris vel minoris cælestis coronæ res in eo. Quàm diu, sed quàm benè, quo caritatis in Deum fervore, quâ purâ intentione quis Deo serviat, aut in ejus obsequio laboret. Hinc novissimi dicuntur futuri primi, & consummatus in brevi explese dicitur tempora multa. Noto hinc ad Calvinum, Lutherum aliorumque hæresiarchiarum nostri temporis genium reflectens. Quòd, dum antiquorum sententias sequuntur, Conciliis, Patribus & receptæ ab Ecclesia de sæculo in sæculum doctrinæ pertinaciter semper contradicant, privatorem tamen hominum, qui dum vivebant,

bonis

bonis omnibus suspecti, vel etiam à CC. damnati erant, errores ambabus manibus purè ex libidine Ecclesiæ contradicendi amplectantur. Estne hoc S. Scripturæ imò sanæ rationi conforme? certè in jure, medicinâ, Philosophiâ, & prudentium hominum judicio exosus est tanquam singularis aut sycophantâ, qui rejectâ communi doctrinâ, torrente autorum omnium ab orbe toto litterato celebratorum, doctrinam dudum rejectam alicujus Heteroclitî & sibi similis Sycophantæ adoptat. Cur ergo non idem judicium est de iis? in quibus agitur de credendis & observandis in verâ lege & Ecclesia Christi. Sed hæc per parenthesis. Interim quia, ratione pœnarum purgatorii, & pro se & pro animabus in purgatorio detentis Catholici conantur lucrari Indulgentias, de iis hic quoque agendum utpote celebri Catholicos inter & Sectarios controversiâ,

3tio. De Indulgentiis.

Non vacat hic adducere mendacia & scurriles jocos Sectariorum ratione Indulgentiarum. Sed eos nil nisi mendacia & scommata adferre re ipsâ ostendam explicando. *1mo.* Quid sint indulgentiæ. *2do.* Ostendendo, quòd detur in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias. *3tio.* Quòd illa principaliter & immediatè penes summum Pontificem sit. *4to.* Quòd Indulgentiæ concedi possint pro Defunctis, iisque applicari.

1mo.

imò. Per Indulgentias intelligitur remissio
 pœna temporalis in foro conscientia & coram Deo,
 alias adhuc residua ex peccatis actualibus quoad
 culpam jam dimissis extra Sacramentum per appli-
 cationem satisfactionum Christi, quæ sunt in the-
 sauro Ecclesiæ, rationabili de causa concessa ab
 eo, qui potestatem habet. Thesaurus autem Ec-
 clesiæ nihil aliud est, quàm passionibus & satisfac-
 tiones Christi infinitæ. Quibus, quia Christus
 non indiguit, utpote ad nullam pœnam obli-
 gatus, cum omnis culpæ & peccati fuerit ex-
 pers, eas reliquit in Ecclesiâ à Vicario suo di-
 spensandas. Quippe sciendum, omne opus
 bonum supernaturale continere in se duplicem
 bonitatem (sicut peccatum continet duplicem
 malitiam scilicet culpæ & pœnæ reatum) nimirum
 vim merendi vitam æternam, & vim satisfac-
 faciendi pro pœnis ex peccato adhuc residuis.
 Ubi igitur ab aliquo fiunt opera pœnalia bona,
 in quo nullus est reatus pœnæ; eò quòd vel
 nullum in eo fuerit peccatum; ut in Christo &
 B. Virgine, vel deletus jam sit omnis reatus
 culpæ vel pœnæ, ut in aliis insigniter Sanctis
 contingit. Vis satisfaciendi devenit ad thesau-
 rum Ecclesiæ. Non quòd satisfactiones Chri-
 sti, quæ principaliter constituunt hunc thesau-
 rum, non sint sufficientes utpote infinitæ. Sed
 ne ejusmodi satisfactiones Martyrum & aliorum
 Sanctorum, quibus ipsi pro se non indigent,
 sint inanes, & nihil profint cæteris Ecclesiæ
 membris. Atque ex hoc thesauro Papa ex ra-
 tionabili causa applicat fidelibus satisfactiones,
 cum

cum Indulgentias concedit. Nam licet opera in quantum *meritoria* sunt vitæ æternæ, aliis applicari nequeant. *Unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1. Cor. 3. Applicari tamen ea possunt aliis, in quantum sunt *satisfactoria*. Satisfacere enim pro altero, est solvere debitum pro ipso, ut in humanis quoque contingit.

2dò. Datur in Ecclesia Christi potestas concedendi Indulgentias. *Probat*ur 1mo. ex Scriptis. Matth. 16. v. 19. ubi Christus ad Petrum Ecclesiæ caput dixit: *Tibi dabo claves regni caelorum, quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Ubi per particulam illimitatam *quodcumque* nihil prorsus excepit, adeoque potestas solvendi non solum se extendit ad remissionem culpæ, sed etiam omnis pœnæ. Et absque eo jure præsumi debet de infinito Christi in nos amore; quòd Ecclesiæ suæ dederit potestatem removendi omnia salutis impedimenta à suis Electis. Atqui inter impedimenta & remoras salutis est etiam vinculum seu reatus pœnæ temporalis. Ergo. *Probat*ur 2dò. Ex traditione Apostolicâ & antiquissimâ Ecclesiæ praxi. Cujus, quia initium nescitur, juxta reg. S. August. ab ipsis Apostolis ad nos usque continuata esse credenda est. Et sicut Heterodoxus non crederet Calvino vel Luthero neganti historiam aliquam profanam, quam Autores antiqui unanimiter narrant v. g. de urbe Roma, & homines successivè existentes credunt. Cur non & in hac & in omni alia controversia potius

tius creditur communi Ecclesiæ sensui & testi-
 moniis sæculorum præcedentium; quam uni
 v. g. Apostatae Monacho, qui eò quòd alteri
 ordini religioso datæ fuissent promulgandæ In-
 dulgentiæ *cruciata* per varia Germaniæ loca ab
 Alberto Brandenburg. Archi-Episcopo Mo-
 guntino & Cardinale Anno 1517. superbiâ, am-
 bitione, invidiâ, avaritiâ & irâ percitus cœpit
 publicè non tantùm abusus Indulgentiarum (in
 quo benè fecisset) sed & ipsas Indulgentias
 carpere, ac paulatim etiam alia Ecclesiæ dog-
 mata & ritus sugillare ac spernere. Et tandem
 excommunicationis sententiâ à Leone X. iustis-
 simè fulminatus simul omnem fidem & religio-
 nem abiecit inexplicabili furens odio in Papam
 & Ecclesiam Romano-Catholicam, atque in-
 numeras animas secum in perniciem æternam
 trahens. V. Pichler in Theol. Polem. art. 4. §. 5.
 de Indulg. ubi citat plures Pontifices, qui de-
 dère ex veteri Ecclesiæ instituto Indulgentias.
 Quòd autem PP. non faciant passim mentionem
 de Indulgentiis; causa partim est, quia eas ne-
 mo impugnavit; partim quia in usu adhuc erat
 antiquus ille rigor in injungendis pœnitentiæ
 operibus per dies vel annos complures conti-
 nuandis. Quæ, quia successu temporis propter
 infirmitatem humanam sunt abrogatæ, sup-
 pletum est ex thesauro Ecclesiæ. Sicut olim,
 qui ob delicta debebant adhuc agere publicam
 per annos certos pœnitentiam, impetrabant à
 martyrio jam jam afficiendo chartam vel signum
 aliquod Episcopo aut templi præsidi ostendi-
 dum;

dum, vi cuius Martyr Christi petebat iis indulgeri vel condonari certos publicæ pœnitentiæ annos. Jam quòd potestas Ecclesiæ à Christo concessa sit Indulgentias sive remissionem pœnarum temporalium dandi. SS. PP. Ambros. Chrysof. Anselmus &c. probant ex illo Pauli 2. Cor. 2. v. 10. *Cui autem aliquid donastis (condonari & remitti à me per Titum petitis) Ego condono. Nam Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Hoc est, sicut congregatis vobis & meo spiritu iussi illum excommunicari 1. Cor. 5. v. 4. ita & ego modò illum absolvo ab omni vinculo excommunicationis, omnique reliquâ pœnâ, quam adhuc subire meritò timeret pro tam enormi scelere. Quod Calvinus hic fingit, solùm in foro exteriori coram Ecclesia pœnam ipsi remitti; refellit ipsemet S. Paulus, dum ait, se, quòd illi condonavit, condonasse *in persona Christi*, sive coram Christo, sive in facie Christi, adeoque in foro conscientiæ reapse vice & autoritate Christi, cuius personam gerit. Quòd Paulus verò ibidem *donationem* vocat nos appellamus *Indulgentiam*.

3tio. Potestas concedendi Indulgentias est pœnes summum Pontificem principaliter & immediate. Probatur *1mo.* ex dicto Christi, qui soli Petro & consequenter ejus successoribus dedit potestatem indefinitam *quodcumque* solvendi. Ubi notandum: quòd cæteri quidem Apostoli ut Paulus loc. immediate citato in se ostendit, etiam à Christo acceperint illam potestatem.

testatem à Christo, sed cum hac differentia: quòd, quidquid accepit Petrus, habeant quoque ejus non item aliorum Apostolorum in diversis Ecclesiis successores. Probatur 2dò ex praxi Ecclesiæ; quia Summi Pontifices præscribunt & moderantur Episcopis Indulgentias, ut habetur C. cum eo C. nostro de pœnit. & remiss. Probatur 3tò ex ratione, quia in omni republica benè constituta Magistratus & Princeps supremus habet jus ex communi thesauro providendi subditorum utilitati. Ergo & in republica Ecclesiastica.

4tò. Indulgentiæ etiam concedi possunt pro animabus Defunctorum in purgatorio existentibus, scilicet non *per modum absolutionis*, quæ est actus jurisdictionis, & respicit subditos; quales non amplius sunt respectu Summi Pontificis animæ Defunctorum; cum Ecclesiæ militantis membra per separationem à corpore esse desierint: sed *per modum suffragii*. Quorum verborum hic sensus est: quòd concedens Indulgentias *per modum suffragii* non ipse immediatè remittat pœnam tanquam Judex, sicut remittit, quando concedit *per modum absolutionis*. Sed offerat Deo pretium æquivalens scilicet satisfactionem Christi, ut ipse remittat. Quæ Suarezii explicatio optima est, quia sic ex una parte intervenit vera ratio justitiæ, saltem *per modum commutationis æquivalentis fundatæ in promissione divina quodcumque solveris. Ut ità non sit mera intercessio & deprecatio.* Ex altera verò parte declaratur, quòd Pontifex recognoscat

cognoscat animas purgatorii non tanquam suæ jurisdictioni subiectas, sed solum ut caritate conjunctas. Porro sic intellecta & explicata conclusio probatur 1^{mò} exinde; quòd Christus, sine restrictione ad vivos dederit Petro illimitatam potestatem solvendi Marc. 16, seu tollendi omne vinculum & impedimentum salutis. Ergo etiam potest vinculum pœnæ temporalis tollere in demortuis. Et Christus dicens; *Quodcumque solveris super terram* *to super terram*, refert ad Petrum & Pontificem *solventem* [quamdiu scilicet hi super terram sunt] non verò *ad solvandos*. Hoc tamen est discrimen, ut jam dictum, quòd vivos solvat *per modum absolutio- nis judicialis*. Mortuos verò *per modum solutio- nis tantum*, seu *per modum suffragii* utpote non subditos. Probatur 2^{dò} ex praxi Ecclesiæ. Nam Paschalis jam circa annum 812. dedisse legitur Indulgentias templo S. Praxedis ad liberandam animam è purgatorio; qui utique non fuerit primus in hac concessione. Probatur 3^{tiò}. Anima in purgatorio existentes, quamvis non amplius sint subditæ Ecclesiæ militanti, capaces tamen sunt inde participandi bona spiritualia orationis, elemosynæ, jejunii, &c. quatenus nempe hæc opera habent vim satisfaciendi; ut hic numero primo vidimus, & confirmatur ex Symb. Apost. ubi profitemur *Communionem Sanctorum*, scilicet *Ecclesiæ militantis, purgan- tis, triumphantis*, quarum singulæ se mutuò juvant suis precibus, meritis, piis officiis. Si igitur persona privata potest suas satisfactiones per modum

modum suffragii applicare Defunctis. Cur id Ecclesia non posset ex communi thesauro offerens pro ipsis satisfactiones Christi? *Probatur 4to.* Possunt satisfactiones Christi applicari Defunctis ad extinguendum purgatorium per sacrificium Missæ; cur igitur non etiam per Indulgentias ab eo, cui datæ sunt claves aperiendi cælum? consequentia non habet difficultatem. Antecedens probatur ex Script. Nam 2. Machab. 12. Judas Machabæus jussit offerri *Sacrificia pro Defunctis, ut à peccatis* [eorum pœnis] solvantur, ejusque factum ibidem approbatur. Ergo multò magis hunc in finem offerri potest sacrificium Missæ; & hoc etiam est satisfactorium. *Prob. 5to.* ex perpetua praxi Ecclesiæ. Jam enim in liturgiis S. Jacobi & S. Clementis invenitur memoria ac deprecatio pro defunctis. Et damnata pridem est hæresis Aerii, qui negabat pro mortuis esse sacrificandum teste Epiph. & Augustino. Audiatur unicus S. Chrysostomus hom. 3. in Ep. ad Philipp. dicens: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt illis multum hinc emolumentum fieri, multum utilitatis.*

Pro solvendis frivolis objectionibus Sectariorum sufficiunt, quæ hic sparsim allata sunt v. g. Sancti & Christus ipse acceperunt cumulatissimum præmium & plenam mercedem pro suis laboribus per gloriam, quam in cælo ac terra consecuti sunt, acceperunt inquam mercedem

cedem pro suis laboribus *qua meritis* conceditur, *qua satisfactionibus* negatur. Si indulgentiæ concederentur sine iusta causa profusè (casu quo etiam quæri potest an validæ sint) & sine alligacione ad certa opera bona, quæ ordinariè præscribuntur, ut sunt orationes, jejunia, elemosynæ, Confessio, Communio, &c. posset dici, quòd inducatur oscitantia in exercendis operibus laboriosis, & securitas noxia paulatim instilletur. Jam verò non. Sed nunquid noxiam securitatem, laxitatem, neglectum bonorum operum inducunt principia Sectariorum? juxta quæ per solam fiduciam in meritis Christi sine ullis propriis operibus bonis obtinetur justitia & salus. Hic incidenter noto; quòd viderim varias pias orationes ad Christum, & fiduciales affectus erga ejus merita in libellis precum in Saxonia impressis; nullum autem actum contritionis & detestationis peccatorum. Quam si cum gratia Dei supernaturalem elicerent laborantes ignorantia invincibili circa fidem; adhuc salvari possent. Sed hoc per speciosos illos affectus erga merita Christi impedit Diabolus occæcans corda hominum. Quòd autem ogganniunt Adversarii Pontificem, si possit Indulgentias concedere pro animabus in purgatorio easque liberare, tyrannum esse. Quòd non omnibus Sacerdotibus in omnibus Altaribus tribuat privilegium liberandi animas, & evacuet purgatorium, & morituris omnibus concedat; ne veniant ad hunc locum tormentorum. Hoc inquam omninò frivolum esse

esse vel ipsi Adversarii agnoscent; si sanam rationem consulere velint. Christus infinito erga homines amore flagrans Deus & Dominus non est tyrannus, quod non omnes homines uno momento salvet; licet id ut absolutus Dominus posset. Papa non est Dominus thesauri Ecclesiae, ut pro beneplacito eum dispensare & quasi prodigere possit; sed tantum est dispensator rei alienae scilicet satisfactionum Christi. Dispensator autem non potest sine justa causa communem thesaurum erogare. Nunquam autem sufficiens est causa; ut passim & tam liberaliter vel profuse dispensentur Indulgentiae. Imò sunt graves causae, ut id non fiat, quia ab una parte ejusmodi prodigiosa liberalitas languorem utique & negligentiam induceret in exercitio piorum operum; à parte altera Christus, quod sine justa causa concederetur, non acceptaret. Sicut non semper acceptat & applicat sacrificia oblata pro mortui anima in purgatorio existente. Demum convitium est, quod emanatur, vendantur Indulgentiae. Illae omnes à Pontifice dantur gratis; quod tu autem agenti tuo, qui, eas sollicitando apud eos, quos concernit, multum saepe temporis & laboris impendere, & ex ejusmodi occupationibus vivere debet, des stipendium aliquod pro isto labore. Estne hoc pejus? quam quod Ministelli apud Sectarios stipendia & pecuniarios proventus habeant.

Quaes, quotuplex sit Indulgentia. R. Duplex totalis & partialis seu plenaria & non plenaria. *Plenaria*, quae etiam *plena*, *plenior* & *pl-*

plenissima subinde vocatur, tollit omnem purgatorii pœnam, nec differt à Jubilæo nisi accidentaliter in quibusdam privilegiis v. g. dispensandi in votis absolvendi à censuris & peccatis reservatis &c. Quid jam à parte tua requiratur ad *plenariam Indulgentiam* lucrandam. Vide tum in Autoribus tum ipsis Bullis, in quibus conceduntur Indulgentiæ. *Non plenaria* est varia v. g. unius septem mille annorum, unde alia etiam vocatur *quadragesima*, qua per se non remittitur omnis pœna, sed tantum pars scilicet tantum pœnæ, quantum tolli posset per jejunium 40. dierum, quod pro certis olim peccatis sacri Canones injungebant. Quando vero hoc jejunium 40. dierum imponebatur in pane solo & aqua, vocabatur *carena*. Quando autem injungebatur à memoratis Canonibus jejunium per septem annos, *septena* vocabatur. Unde & rectè conceduntur Indulgentiæ mille bis mille annorum &c. licet Purgatorium tam diu duraturum non sit; quia sensus est, per ejusmodi Indulgentias de pœna purgatorii tolli tantum, quantum remitteretur, si quis per mille annos perageret illud pœnitentiæ opus, quod antiqui Canones pœnitentiales injungere solebant. Quantum autem illud sit, quod remittitur, Deus novit. Nec hic agitur de pœnitentiæ diuturnæ operibus, fervidissimis actibus amoris erga Deum & contritionis intensæ convestitis; scimus enim teste Christo, quòd ei, qui multum diligit, multum dimittatur, & uno intensissimo veræ contritionis actu purgatorium deleri

deberi possit. Sermo ergo est de penitentia operibus, quæ ob delicta olim imponebantur. Porro alia Indulgentia vocatur *realis*, alia *localis*, alia *personalis*, prout nempe vel certis rebus uti numismatis, vel locis uti templis, vel personis conceduntur. Meus finis hinc tantum fuit brevem de Indulgentiis inserere explicationem, & hoc, quod controversum est, contra Sectarios stabilire. Hinc ulteriores in hac materia quæstiones petendæ sunt ex Autoribus. Jam redeamus ad elevationes mentis nostræ in Deum.

Præter hætenus allata, quæ occurrunt circa inanimata, sive in itinere sis, sive per campos & spvas ambules, ipsæ etiam via varia occurrentes salubria possunt documenta, & ascensiones ad Deum inspirare.

Via bonæ.

Ego sum via, veritas & vita. Joan. 14. Dominus proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ & vias Sanctorum custodiens. Consilium custodiet te, & prudentia servabit te, ut eruaris à via mala. Prov. 2. tam in sensu literali quàm morali. Utinam dirigantur via mea ad custodiendas justificationes tuas. Pl. 118. Cantabiles mihi erant justificationes tua in loco peregrinationis meæ. Ibid. Sic pio cantu etiam molestiæ itineris mitigari possunt. Maximè dum cogitas, quòd via peregrinationis tuæ ad patriam cæle-

caelestem sit præiens vita, & observatio mandatorum Dei tibi esse debeat suavis instar cantilenæ. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Pl. 16. Hoc non tantum in sensu litterali, sed & morali accipe. *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.* Pl. 22. Mundum, carnem, Dæmonem animæ meæ insidiantem. *Beati immaculati in via* (in statu viatorum) *qui ambulant in lege Domini.* Pl. 118. *Ducam te per semitas equitatis, quas, cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Prov. 4. *Semita hæ sunt consilia Evangelica. Gressus sunt inclinationes animæ, quæ per gratiam Dei dilatatæ incitant ad currendum ita in via perfectionis, ut inordinati motus supprimantur, nec ad eos offendas.* *Angelis suis Deus mandavit de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Matth. 7. Quam multa puer juvenis vir senex habuisses quoad corpus & animam infortunia! nisi tuus Angelus Custos id præcavisset. *Non declines ad dextram* [ob inordinatum affectum erga hoc illud] *neque ad sinistram* [ob aversionem erga hoc illud] *sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, & bene sit vobis.* Deut. 2.

Via male.

Relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrasas. *Quorum via perversa sunt, &*
V 2 *infa-*

460 *Pars secunda de elevatione*
infames gressus eorum. Prov. 2. *Via stulti recta*
oculis eius. Prov. 12. *Spatiosa via est, qua du-*
cit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per
eam. Matth. 7. *Est via, qua videtur homini iusta,*
novissima autem ejus ducunt ad mortem. Prov. 14.
Hic cogita de parabola illa senioris & junioris
fratris incidentium in manus latronis. Qui
morti adjudicavit seniore, quod secutus fuisset
junioris viam latam & spatiosam præli-
gentem; & junioris, quod fratrem suum se-
nioris ad eam ineundam seduxisset, qui alias
judicabat viam angustam & spinosam esse secu-
riorem. Applicatur parabola ad animam, qua
se à corpore ac carne seduci sinit. *Novit Do-*
minus viam justorum, & iter impiorum peribit,
Pl. 1. *Errare fecit eos in invio, & non in via.*
Pl. 106. Moraliter & physicè loquendo, quan-
do semel à via recta deflexisti, unus error trahit
alterum. In inferno damnati hanc inferunt se-
quelam; *Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5.
Antecedens posuerunt in vita hac malè vivendo
improvidi ac stulti dialectici. *Non est Deus in*
conspetu illius, inquinata sunt via illius in omni
tempore. Pl. 9.

Salutaris monitio pro itinerante.

PRæter itinerarium Clericorum (quod tan-
quam communes Ecclesiæ preces magni fa-
cilio sapissimè in evidentibus periculis fructum
ejus expertus) commenda te Angelo tuo Cu-
stodi, qui in ducem tibi pro anima & corpore
datus

datum est; item Archangelo Raphaeli, qui Tobiam juniorem sanum duxit & reduxit. Item S. Josepho & immaculatè conceptæ Virgini Dei-
paræ, qui unâ cum puero JESU peregrinati sunt in Ægyptum. Idem singulariter fac, dum es in bivio, vel jam tum à via aberrâsti. Ora etiam tunc Psalmum *De profundis* pro animabus in purgatorio cum plena in Deum fiducia, & experieris in te illud Pf. 106. *Deduxit eos, ut irent in civitatem habitationis*, sive locum, quem intendebas. Hoc non est infallibile medium, sed sæpè talis erga Defunctos pietas, & vi ejus in Deum confidentia prodest. Quia hîc sermo de itineribus fuit, incidunt mihi duo.

1^{mo}. Ut suadeam Principibus, ut non purè hæreant in voluptuario aliquo palatio, aut etiam itinera nimis quàm sumptuosa, & nec ad bonum domus propriæ, nec ditionum suarum servientia temporis fallendi aut genii oblectandi gratiâ instituant. Sed terras sibi subjectas certis temporibus unius aut plurium annorum spatio diligenter perlustrent. Sic audient multa tam sibi ac subditis nocentia quàm profutura, quæ in cabinetis suis nunquam perceperunt aut percipient, & subditos in defectionem aut rebellionem proclives gratiosâ suâ præsentîâ amabili vultu & alloquio in officio continebunt, pluraque impetrabunt sponte oblatâ, quàm in absentia per Ministros vi extortâ. Stolidus Persarum mos erat, ut Regem de vultu, qui cortinâ obtegebatur, vidisse, aut non vocatum accessisse, crimen esset læsæ Majestatis

fatali supplicio expiandum. Cyrus à Græco Philosopho instruebatur, ut terras sibi subjectas quasi latè extensum corium contempleretur, quod ibidem affurgit, ubi pede calcantis & super corium ambulantis non deprimitur. Quo simili incitare volebat Regem, ut ipse ditiones suas, ad impediendas rebelliones, & ne plebs à potentiori aliquo instigata contra ipsum insurgeret, sedulus peragraret. Et hoc non tam necessarium est Regi, qui dominatur populo unius labii genii & innati erga Principem affectus, quàm illi, qui subditos & longè ab invicem distitos, & linguâ ac genio diversos populos gubernat, & à Ministris tantùm audit placencia. Dum populi pressi maledicta in utroque evomunt, & exacerbatum armati ostendunt animum, ubi adest Duxque caputque gregis. Nolim ego justificare defectiones ejusmodi, sed hic tantùm ago de iis à prudente Principe impediendis per affectum, quem apud subditos coràm præsentia suâ honoratos & exhilaratos sibi conciliare potest. In hunc finem etiam bonum erit, ut Proreges in diversis nationibus habeat, qui moribus earum ac genio se dextrè norint accommodare. Et hinc fidos in quibuslibet terris exploratores habere debet Rex, ex quibus discat, an præfecti à se constituti id observent, justitiam ritè administrant, vel subditos emungant, & per hoc ab ipso Principe aversos eorum animos reddant. Ex iisdem exploratoribus discet Princeps, in quo statu sint urbes, munimenta, &c. Superi ! integris hæc

sæpè

sapè millionibus constant, ut exurgant, reparentur, in statu debito permaneant. Et quando bellum ingruit, nequidem murorum ruina ex præcedenti bello tormentis bellicis inflicta reparata est, licet Officiales ad id nummos acceperint, & omnia in bono statu esse retulerint. Si Princeps in suo hæreat palatio, mittat Capucinum, qui oculis omnia perlustret, & fideliter referat. Hoc primum est, quòd dum de itineribus sermo est, mihi incidit. Unde fors inferes sicut & ex pluribus aliis in libello hoc, mei propositi esse *primò* ascensiones mentis in Deum, confortationem in S. fide, & meliorem hæc viâ S. Scripturæ intelligentiam. *2do*. Etiam variorum statuum occasione datâ crises.

2do. Incidit mihi quæstio aliqua ratione itinerantium breviter expedienda de peregrinationibus ad loca sancta, quas adeo hujus temporis Sectarii explodunt.

Subsectio decima.

De peregrinationibus ad loca sancta.

IN omnibus rebus per se bonis potest esse abusus sic & in his. Cæterum peregrinatio ad loca sancta, & quæ Deus variis honoravit miraculis, res per se est plena laboris & afflictionis voluntariè ex intentione bona suscepta, & ab omni antiquitate usurpata. Populus Israel tenebatur ter in anno templum invisere Deut. 16. Eunuchus Act. 8. qui relictâ Æthiopiâ ve-